

non sit locata et inhabitata a laicis, eadem sacra congr. Immunit. in Cæsennaten. 17 Novembris 1654, lib. v de cr. Paul., p. 24. (68. Attamen distans ab ecclesia parochiali spatio circiter tertiæ partis milliarii, non gaudet immunitate; eadem sac. congr. Immunit. in civitatis Castelli, 4 Julii 1673, lib. i de cr. Altov., pag. 817. (69. Domus, quæ habitatur a paroco, sed non est Parochialis, id est de pertinentia Parochiæ, non gaudet immunitate; eadem sac. congr. Immunit. in Altar., 5 Maii 1659, lib. ii de cr. Vallem., pag. 217. (70. Domuncula de juribus ecclesiæ parochialis ab ea tamen et a domo parochi distans circa triginta passus, quæ solum inservit pro usu et servitio parochi, non gaudet immunitate, eadem sac. congreg., Immunit. in Feretr. 27 Julii 1682, lib. iii de cr. Altov., pag. 209.

(71. Palatia cardinalium gaudent immunitate asyli. *Communis* ut testantur et tenent Manfred. in tract. de Cardinal., cap. 8, in 18, privil.; Julius Clarus, in § final., p. 3, vers. *Item adde*; Fagnan., in cit. cap. *Ecclesiæ* 9, de Immunitat., num. 32; Barbosa, loc. cit. num. 71; Reiffenstuel, loc. cit., n. 53, et alii passim. (72. Solum tamen gaudent tali privilegio extra urbem Romanam, ut testantur card. Tuscus in verb. *Ecclesia*, consul. 9, n. 12; Reiffenstuel, loc. cit., n. 53; Pax Jordan., lucubration. lib. ii, tit. 3, num. 206, ubi testatur delinquentes ex cardinalium domibus ad carceres, et supplicia fuisse abstractos, idque, ne ob asylum nimiam frequentiam delinquentes passim manerent impuniti cum gravi boni publici iactura; Fagnan., loc. cit. num. 33 et 34, ubi refert id declarasse Julium III, non solum pro domibus baronum, comitum, ducum et principum oratorum, sed etiam pro domibus episcoporum, archiepiscoporum, patriarcharum, S. R. E. cardinal. Et tale privilegium immunitatis a palatiis cardinalium abstulerunt pro urbe etiam Greg. XIII, et Sixtus V, ut refert Felix Potestas, t. 1, p. 2, num. 614; La Croix, lib. iv, sub num. 1392, et alii passim, et a palatiis legatorum principum esse ablatum hoc privilegium satis declaravit etiam Innocent. XI, ut testatur La Croix, l. cit. Imo nec jam ibi gaudent tali privilegio propter abusum statuæ, aut palatia regum et principum, ut testatur Delbene 17, 10; La Croix, loc. cit., et alii. (73. Palatium nuntiaturæ Neapolis gaudet immunitate: sac. cong. Immunit. 2 Maii 1686, l. iii de cr. Altov., p. 562, et sic pariformiter omnia palatia aliarum nuntiaturarum.

(74. Palatium episcopi gaudet immunitate asyli: cap. *Id constituimus* 36, caus. 17, qu. 4, ibi: «*Id constituimus, ut a domo episcopi reos abstrahere omnino non liceat.*» (75. Etiam si ab ecclesia cathedrali abesset ultra quadraginta passus; Abbas in cap. *Ecclesiæ* 9 de Imm., num. 9; Fagnan., ibid., num. 29; Barbosa, loco c.; Navarr. in Manuali, c. 25, n. 18; La Croix, loco cit., et alii communiter cum Reiffenstuel, loc. cit. num. 52. Et quamvis in palatio nullum esset ora-

torum quia cap. *Id constituimus* loquitur absolute de domo episcopi, nulla facta mentione de oratorio, Navarr., Tuseh., Suarez, Delbene cum La Croix, loc., cit. et hæc magis elucescunt ex sequentibus decretis. (76. Palatium mensæ episcopalis etiam situm extra diocesim gaudet immunitate, ac si esset in propria diocesi pro tempore quo episcopus illud inhabitat; sac. cong. Immunit. in Castr. 8 Jul. 1670, l. i de cr. Alt., pag. 453. (77. Palatium episcopi conductum pro sua habitatione episcopali gaudet immunitate; eadem sac. congreg. Immunit. in *Aquinate*, 19 Novembr. 1666, lib. i de cr. Altov., p. 59. (78. Palatium tamen conductum ab Episcopo in propria diocesi pro propria habitatione in quo etiam habitat dominus ejusdem palatii, gaudet immunitate tantum quoad portionem episcopi et suæ familiæ, ead. sac. cong. Imm. in Sagonen., 8 Jul. 1692, l. de cr. Crim., pag. 157. (79. Palatia ruralia episcoporum in locis eorum diocesis et ab ipsis interpolata, seu recreationis gratia habitata, et quæ ab eorum afflictuariis continuo habitantur, non gaudent immunitate eccl., ead. sac. cong. Immunit. in una civitatis plebis 3 Sept. 1681, lib. ii de cr. Altov., pag. 2248. (80. Confugiens ad palatium episcopi gaudere debet immunitate; ead. sac. cong. Immunit. in Forosempromien., 4 Jun. 1630, lib. ii de cr. Paulucci, pag. 44. (81. Quare carceratus in palatio episcopi est ibidem restituendus; ead. sac. cong. Immunit. in Lycien., 19 Januar. 1638, lib. iii de cr. Pauluc., pag. 52. (82. Sicut etiam sacerdos captus in palatio episcopi gaudet immunitate, et ibidem est restituendus, ead. sac. congreg. Immunit. in Fanen., 17 Septembris 1658, lib. de cr. Rocci, pag. 120. (83. At quando episcopus ordinat carcerationem in proprio palatio, reus non gaudet immunitate eccl., ead. sac. cong. Imm. in Signina, 31 Jul. 1701, lib. iii de cr. Vallem., p. 506. (84. Sicut in casu quo Baroncellus et Birruarii curiæ episcopalis qui tentarunt absque ordine carcerationem sacerdotis inventi cum falce vinitoria præ manibus, et ob resistantiam eis factam ipsum taliter percusserunt ut secundo die obierit, unde vocati ab episcopo ad proprium palatium pro reddenda ratione hujus facti, ibidem de mandato episcopi carcerantur, et deinde poena triremium puniuntur, non gaudet immunitate; ead. S. cong. Immunit. in Imol., 8 Augusti 1773, lib. i de cr. Altov., pag. 828. (85. Reus allegans clericatum Baroncello, ductus liber ad vicarium generalem, cui in palatio episcopi dixit se non esse clericum, sed velle uti immunitate palatii episcopalis, quam vicarius admisit, gaudet immunitate, et Baroncellus non incidit; ead. S. cong. Imm. in Sutr., 17 Nov. 1699, l. ii de cr. Vallem., p. 257. (86. Exsecutio etiam pro debitis civilibus fieri non potest in palatio episcopi, nec in domibus seu mansionibus clericorum in regno Neapolitano, attentata consuetudine in dicto regno ad eorum favorem, ead. Sac. Congreg. Immunit. in Conversanen. 12 Novemb. 1647, lib

iv de cr. Paul., pag. 30. (87. Concedenda est facultas exsequendi in palatio episcopi quatenus a creditoribus episcopi petatur; ead. sac. cong. Immunit. in Anagnina, 20 Jun. 1651, ibi pag. 148. (88. Magistratus sæcularis absolvitur ad cautelam eo quod demoliri fecerat murum ædificatum ante palatium episcopi, quod prætenditur spectare ad mensam episcopalem; ead. sac. cong. Immunit. in Tropien. 6 Febr. 1694, lib. i de cr. Vallem., pag. 104.

(89. Ad hoc ut clarius percipiantur delicta quibus competit, vel non, jus asyli, dantur hic ad litteram duæ pontificiæ constitutiones, quæ debent ad hæc esse vera norma et regula.

GREGORIUS PP. XIV.

(90. Cum alias nonnulli prædecessores nostri, et præsertim fel. record. Sixtus papa V, necnon Pius etiam V, sancto zelo ducti, diversas facultates et indulta extrahendi, etiam in casibus quibusdam a jure non permissis, ex ecclesiis, criminosis et delinquentes compluribus sæcularibus, principibus, eorumque curiis et magistratibus, sub variis modis et formis, concesserint, prout in illis plenius continetur,

§ 1. Experientia postmodum docuit, tum ob diversitatem et differentiam hujusmodi indultorum, tum quia plerique eorumdem principum ministri, ex hoc ipso diversimode etiam latius quam par erat, et ad suum libitum interpretandi occasionem arripuerunt illisque abuti ceperunt, subortam esse non mediocrem, in aliquibus locis, libertatis et immunitatis ecclesiasticæ perturbationem et confusionem; alibi vero, ne ipsos quidem laicos indultis hujusmodi uti voluisse aut potuisse, quod populis inveterata erga ecclesias reverentia devotis et assuetis scandali potius quam quietis occasionem præberent. Illud etiam absurdum sæpenumero secutum est, ut infamæ interdum conditionis laici, non modo juris sed etiam litterarum penitus ignari et imperiti, dum quasi potestates et ministri curiæ sæcularis in aliquo castro aut oppidulo jurisdictionem exercebant, facultatum et indultorum hujusmodi limites longe excesserint, eaque suo arbitrio in sensu minus rectos et ab intentione concedentis omnino alienos detorserint, et, illorum prætextu, quidquid sibi in mentem venit attentare præsumperint, in grave jurisdictionis et immunitatis ecclesiasticæ præjudicium, locorum et personarum divino cultui dicatarum contemptum, ipsius divinæ majestatis offensam, et scandalum plurimorum. Quare pro commisso nobis a Domino pastoralis officii munere, prædictis absurdis et scandalis obviare, ac differentias hujusmodi ad uniformem regulam reducere, omnemque dubitandi ac perperam interpretandi occasionem dilucida declaratione submovere, abusus tollere, et ne ecclesiastica jura plane conculcentur et negligantur opportune providere, decrevimus prout etiam dictus Sixtus V prædecessor noster, iisdem de causis motus, statuere decreverat, licet morte præventus hoc adimplere nequiverit, ita tamen

ut quando præsens temporum calamitas et nimia quæ jam invaluit perversorum hominum malitia exposcit, aliquid etiam ad terrorem delinquentium et ad coercenda eorum facinora, ultra id quod prisca illa Majorum nostrorum disciplina et vetus SS. canonum norma præscripserat in quibusdam casibus congrua moderatione adhibita, permittamus.

§ 2. Hac itaque nostra perpetuo valitura constitutione, omnia, et quæcunque privilegia, indulta et gratias tam per dictum Sixtum et Pium V quam alios quoscunque nostros prædecessores aut nosmetipsos, Sedem apostolicam ejusque legatos, super abducendis vel extrahendis ab ecclesiis, monasteriis, sacellis, domibus regularibus, locisque sacris aut religiosis, aliisque in casibus jure permissis, hominibus certorum tunc expressorum vel non expressorum criminum reis, aut fraudulentis deceptoribus etiam in odium certorum delictorum, et pro bono, pace et quiete publica, et ex causis urgentissimis ac necessariis, et æquipollentibus casibus in jure expressis, atque ex paritate, identitate, aut majoritate rationis extensis perpetuo vel ad nondum elapsam tempus quomodolibet concessa, etiam iteratis ac multiplicatis vicibus approbata, et innovata ac usu recepta, litterasque apostolicas sub plumbo aut in forma brevis, seu alias quomodocunque desuper confectas quarum tenores hic haberi volumus pro expressis ac ad verbum insertis sublata penitus omni differentia, ita ad unam tantum formam reducimus et moderamus.

§ 3. Ut laicis ad ecclesias, locaque sacra et religiosa prædicta confugientibus, si fuerint publici latrones viarumque grassatores qui itinera frequentata publicasque stratas obsident, ac viatores ex insidiis aggrediuntur, aut depopulatores agrorum, quive homicidia et mutilationes membrorum in ipsis ecclesiis earumque cæmeteriis committere non verentur, aut qui proditorie proximum suum occiderint, aut assassini, vel hæresis aut læsæ majestatis in personam ipsiusmet principis rei, immunitas ecclesiastica non suffragetur. Sed universis et singulis venerabilibus fratribus nostris, patriarchis, primatibus, archiepiscopis, episcopis, cæterisque ecclesiarum et monasteriorum prælatis, tam Sæcularibus quam cujusvis ordinis Regularibus, districte præcipiendo mandamus et præcipimus, ut laicos in casibus prædictis delinquentes, ad eorum ecclesias, monasteria, domos et alia loca suprascripta sacra seu religiosa respective confugientes, et in eis se recipientes, atque morantes qui prædicta delicta eorumque aliquid iudicio suo commisisse videbuntur, quando a curia sæculari fuerint requisiti, et quilibet eorum fuerit requisitus, ministris et officialibus curiæ sæcularis absque irregularitatis nota aut alicujus censuræ ecclesiasticæ incursu tradi et consignare curent et faciant, et quilibet eorum curet et faciat.

§ 4. Ne autem curiæ sæcularis prædictæ ministri, facultate illos perse et propria auctoritate extrahendi et abducendi, sibi olim, ut

præfertur, attributa et per præsentis revocata, abutantur, Volumus, dictaque auctoritate decernimus et declaramus, ut curia sæcularis, ejusque iudices et officiales ab ecclesiis, monasteriis, locisque sacris prædictis laicum aliquem, ut præfertur, delinquentem, in nullo ex casibus supradictis sine expressa licentia episcopi, vel ejus officialis et cum interventu personæ ecclesiasticæ, ab eo auctoritatem habentis, ad quos solos, et non alios episcopis inferiores, etiamsi alii ordinarii sint aut nullius diocesis, aut conservatores ab hac Sede specialiter vel generaliter deputati, prædictam licentiam dandi facultas pertineat. Occurrente autem casu in loco exempto et nullius diocesis, tunc ad episcopum viciniorem devolvatur hæc cognitio et non ad alios, rapere, extrahere aut incarcerare non possint, nisi eo casu quo ipse episcopus et dictæ personæ ecclesiasticæ requisitæ, illos in delictis superius expressis culpabiles tradere, aut capturæ et incarcerationi intervenire et assistere recusarint: tuncque reverentiæ ecclesiæ et locis sacris debitæ memoria, prædictos delinquentes minori, quoad id fieri poterit, scandalo et tumultu extrahere curent.

§ 5. Quandoque delinquentes laici prædicti postquam, ut refertur, ab ecclesiis locisque extracti et capti fuerint, ad carceres curiæ ecclesiasticæ reponi, et inibi sub tuto et firmo carcere ac opportuna custodia data illis, si opus fuerit, per curiam sæcularem, detineri debeant, nec inde extrahi, curiæque sæculari prædictæ consignari, nec tradi possint nisi cognito prius per episcopum seu ab eo deputatum, an ipsi vere crimina superius expressa commiserint, tuncque demum de mandato episcopi per judicem ecclesiasticum curiæ sæculari, quacunquæ appellatione seposita, consignentur.

§ 6. De crimine vero hæresis cognitio ad forum ecclesiasticum totum pertineat, neque in eo curia sæcularis se quoquomodo intromittat.

§ 7. Sicuti etiam prohibemus, ne contra ecclesiasticas personas, Sæculares, aut cujusvis ordinis, vel militiæ, etiam S. Joannis Hierosolymitani Regulares, quoquo modo etiam vigore prædictorum privilegiorum, indultorum, aut concessionum, quæ omnia ad terminos juris per præsentis reducimus, procedant aut se intromittant, illasve ab ecclesiis, monasteriis, domibus, locisque sacris aut religiosis, etiam in casibus in hac constitutione expressis, extrahere, adducere, capere, carcerare, aut cognoscere de criminibus ad forum ecclesiasticum pertinentibus, alias quam de jure, et per privilegia eisdem ordinibus ac militiis, concessa permittitur, quomodolibet præsumant.

§ 8. Quod si quis quacunquæ dignitate et auctoritate præditus, præmissorum, aut alio quovis prætextu, quidquam præter aut contra hujus nostræ constitutionis tenorem attentare præsumpserit, declaramus eum ipso facto censuras et penas easdem incurrrere quæ contra libertatis, juris, immunitatis ecclesiasticæ violatores, per sacros canones,

conciliorum generalium, nostrorumque prædecessorum constitutiones, sunt promulgatæ.

§ 9. Sicque per quoscunque iudices ordinarios vel delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, et S. R. E. cardinales, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate, in quavis causa et instantia iudicari et definiri debere, necnon irritum decernimus et inane si secus super his per quoscunque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

§ 10. Non obstantibus præmissis tam Sixti et Pii V quam aliorum quorumcunque prædecessorum nostrorum litteris apostolicis, privilegiis, indultis et facultatibus, quibusvis personis, etiam imperiali, regia, ducali, aut alia quavis dignitate et auctoritate fulgentibus; aut rebus publicis, dominiis, regnis, provinciis, civitatibus, terris, et locis, eorumque curiis, communitatibus, universitatibus, collegiis, aut præsentibus, proregibus, gubernatoribus, locumentibus, vicariis, potestatibus, aliisque magistratibus, officialibus, ministris, aut consiliariis, ex prædictis, vel aliis etiam gravioribus et urgentibus causis, tam illorum intuitu et contemplatione, sive ad eorum preces et instantiam, quam etiam motu proprio, et ex certa scientia, deque apostolicæ potestatis plenitudine, ac per modum statuti et legis perpetuæ, etiam in vim contractus, de fratrum nostrorum consilio, et quibuscunque tenoribus et formis, et cum quibusvis præservativis, restitutivis, mentis attestativis, derogatoriis derogatoriis, aliisque validissimis, et efficacissimis, et insolitis clausulis, necnon irritantibus et aliis decretis, etiamsi inibi caveatur expresse quod illis, nisi sub certis modis et formis, et nisi de expresso eorum consensu ad quorum favorem concessæ fuerint, derogari possit, et aliter factæ derogationes nullius sint roboris vel momenti, et alias quomodolibet concessis etiam sæpius approbatis et innovatis. Quæ omnia et singula, ac illorum tenores pro expressis habentes, quatenus præmissis in aliquo adversentur aut plures, quam superius expressos casus contineant, auctoritate et tenore præmissis, omnino ac perpetuo tollimus et abrogamus, ac ad terminos præsentis constitutionis quoad superius descripta duntaxat reducimus, et nolumus cuiquam de cætero suffragari, et qualibet alia dictæ Sedis indulgentia generali vel speciali per quæ præsentibus non expressa, vel ad verbum non inserta, effectus earum quodlibet valeat impediri. Ut autem præsentis litteræ, etc.

Datum Romæ, in monte Quirinali, anno Incarnationis Dominicæ milles. quingent. nonag. primo, nono Kalendas Junii, pontificatus nostri anno primo

Constitutio, qua san. mem. Gregorii papæ XIV litteræ apostolicæ certa expicientes delicta et casus in quibus inquisiti laici ecclesiastica immunitate gaudere non debent, confirmantur, declarantur, et ad alia

etiam delicta et casus extenduntur ac ampliantur. Nec non curiis ecclesiasticis forma in eorumdem inquisitorum extractione a locis immunibus observanda præscribitur cum aliis ordinationibus, et clausulis, ac derogationibus opportunis.

BENEDICTUS PAPA XIII, ETC.

(91. Ex quo divina disponente clementia ad supremum universi Christiani populi regimen assumpti fuimus, considerantes debitum, quo obstringebamur, ecclesiarum sacrarumque locorum immunitatem sartam tectam inviolatamque ubique custodiendi, inter graviores suscepti apostolici ministerii curas merito recenseri: diu multumque rationes ac media nobiscum expendere non omisimus, quibus ipsa immunitas in pristinum venerationis et reverentiæ locum restitui posset, ac in omnibus orbis catholici regionibus ita observaretur quemadmodum prisca majorum nostrorum disciplina et vetus canonicarum sanctionum norma præscripsit.

§ 1. Dum hæc sollicito animo revolveremus, in oculos primum incurrit celebris illa constitutio a fel. rec. Gregorio papa XIV, prædecessore nostro, edita, quæ incipit *Cum alias*, qua quidem constitutione idem Gregorius, prædecessor, pro pastorali zelo suo hunc ipsum in scopum intendens, facultates et indulta a quibusdam Romanis pontificibus, ac præsertim a S. Pio V et Sixto etiam V, prædecessoribus itidem nostris, tunc suis, concessa aliquibus principibus, eorumque officialibus, et magistratibus, extrahendi ac adducendi ab ecclesiis aliisque locis immunibus certorum criminum reos et delinquentes reformavit moderatusque fuit. Simul autem delictorum frequentiam, unde publica tranquillitas maxime perturbatur, occurrere volens, ac impedire, quantum licebat, ne aliqua graviora a pravis hominibus patrentur sub certa impunitatis spe quam ex confugio ad loca immunia sibi parabant, nonnulla expressit et explicavit crimina et casus in quibus laicos delinquentes ecclesiastica immunitate nequaquam gaudere voluit et decrevit, ac insuper iudices constituit qui in occurrentibus casibus an delictum esset necne in eadem Gregoriana constitutione exceptum, cognoscere et declarare deberent, certamque demum formam in extractione prædictorum delinquentium a locis immunibus observandam stabilivit, et inviolabiliter ab omnibus perpetuo observari mandavit, quemadmodum in prædicta constitutione anno Incarnationis Dominicæ 1594, nono Kal. Jun. promulgata, ulterius continetur.

§ 2. Quoniam vero post editam hujusmodi constitutionem ob varias doctorum eam interpretantium sententias, et variam itidem curiarum ecclesiasticarum in illius executione praxim multiplices contentiones super vero rectoque ejus sensu inter ecclesiastica et sæcularia tribunalia exortæ fuerunt, quamplures Romani pontifices, ac præsertim piæ mem. Clemens IX, Clemens X, Clemens XI, prædecessores similiter nostri, de præfatis

contentionibus dilucida casuum exceptorum explicatione submovendis non semel, sicut accepimus, deliberarunt; facilioremque insuper eos probandi et declarandi methodum, ut ejusdem Greg. prædecessoris mens plenius executioni demandaretur, curiis ecclesiasticis præscribere cogitabant, sed ab aliis distracti curis ac interim morte præventi, destinata perficere nequiverunt. Hinc igitur est quod nos, omnino expedire arbitrantes, ut ejusmodi controversiis finis aliquando imponatur, eorumdem prædecessorum pio atque salubri proposito inhærentes, motu proprio, ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque apostolicæ potestatis plenitudine hac nostra perpetuo valitura constitutione, inprimis providam memorati Gregorii prædecessoris constitutionem, cum omnibus et singulis in ea contentis, atque dispositis, amplissime confirmamus, approbamus et innovamus, et quatenus opus sit, criminum in illa exceptorum reis et delinquentibus immunitatem ecclesiasticam suffragari nequaquam debere iterum ac de novo decernimus et declaramus. Præterea non absque gravi animi nostri dolore animadvertentes ob auctamque in dies invalescentem perversorum hominum malitiam, sæpe ac sæpius nonnulla alia gravia crimina perpetrari, quæ non minus quam illa in Gregoriana constitutione, ut præfertur, excepta, publicam quietem perturbant, proinde ad delinquentium audaciam, ac ejusmodi delictorum frequentiam, quantum fieri poterit, coercendam, pro apostolici muneris nostri debito, ea, quæ inferius explicabuntur, statuenda censuimus.

§ 3. Cum itaque prædicta Gregoriana constitutione cautum sit ut publicis latronibus viarumque grassatoribus, qui itinera frequentata vel publicas stratas obsident, aut viatores ex insidiis aggrediuntur, immunitas ecclesiastica minime suffragetur, non levis autem inter doctores emersit controversia, an quis ex unico actu publicus latro et grassator dici possit, vel plures ad id actus requirantur? Nos ejusmodi controversiam dirimere intendentes, unicam tantum admissam in via publica, aut vicinali grassationem sufficere ad hoc ut quis publicus latro et grassator dici valeat, dummodo tamen grassati mors aut membrorum mutilatio secuta fuerit, tenore præsentium definimus et declaramus.

§ 4. Insuper, ab ecclesiasticæ immunitatis beneficio excludimus atque repellimus, et pro exclusis atque repulsis haberi volumus, nedum eos qui homicidia aut mutilationes membrorum in ecclesiis earumve cæmeteriis committere audent, quemadmodum in Gregoriana constitutione sancitum est; verum etiam eos qui, stantes in ecclesia vel cæmeterio, interficiunt stantes extra ecclesiam vel cæmeterium, aut ipsis membrum mutilant; necnon eos qui, stantes extra ecclesiam vel cæmeterium, occidunt stantes intra ecclesiam vel cæmeterium, aut iis membrum mutilant; ac eos tandem qui confugientibus vim inferunt, atque alios ab ecclesiis aliove

loco immuni violenter extrahunt et abducunt. Declarantes in quatuor præmissis casibus ejusmodi reos, non illius tantum ecclesie quam violarunt, sed cujuscunque etiam alterius ecclesie immunitate gaudere nequaquam posse aut debere.

§ 5. Ad hæc in crimine assassinii non modo mandatarios, qui in ipsamet Gregoriana constitutione aperte excipiuntur, sed etiam mandantes, qui certum præmium aut mercedem, sive in pecunia sive in aliis rebus tradiderint aut promiserint, quamvis promissio nullum habuerit effectum dummodo assassinium re ipsa patratum fuerit, ab ecclesiasticæ immunitatis beneficio excludimus, ac pro exclusis perpetuo haberi volumus et mandamus.

§ 6. Excludimus pariter, repellimus, atque privamus ejusdem immunitatis privilegio interficientes proximum suum animo præmeditato ac deliberato; falsificantes litteras apostolicas; ministros Montis Pietatis, vel alterius publici telonii aut banci pro depositis principis privatarumque personarum destinati, furtum aut falsitatem in prædictis locis committentes, cujus ratione arca pecuniaria ita minuatur, ut pœnæ ordinariæ locus sit; conflantes, adulterantes, vel detondentes quascunque monetas aureas vel argenteas, etiam principum exterorum, quotiescunque in loco aut provincia ubi crimen admittetur liberum habeant usum et commercium; vel ipsas monetas conflatas, adulteratas aut detonsas, scienter ita expendere et erogare præsumentes, ut fraudis conscii atque participes censi possint; illos demum qui sub nomine curiæ sese introducunt in alias domos animo ibidem perpetrandi rapinas, easque reipsa committunt cum homicidio aut mutilatione membrorum alicujus ex domesticis earundem ædium, vel etiam extranei quem ibi forte reperiri contigerit, dummodo homicidium vel membrorum mutilatio sequatur.

§ 7. Certum cum diuturna experientia compertum fuerit curias ecclesiasticas in casibus qui hætenus evenerunt difficulter probare et consequenter declarare potuisse delictum pro quo quis ad Ecclesiam confugerat fuisse comprehensum in numero exceptorum propter variam earundem curiarum praxim, et varias pariter opiniones doctorum, qui antedicti Gregorii prædecessoris mentem quoad normam ad ipso præscriptam recipiendi probationes, et procedendi ad declarationem criminum exceptorum, interpretari voluerunt, statuimus, præcipimus et mandamus nullam in hoc de cætero haberi rationem cujuscunque interpretationis ejusdem Gregorianæ constitutionis, quæ a quocunque doctore prodierit, neque praxis a quibuslibet curiis aut tribunalibus inventæ, imo nec quarumcunque declarationum quæ ab hujus almæ urbis nostræ tribunalibus, sive etiam a congregatione venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium immunitati ecclesiasticæ præpositorum emanaverit, quatenus præsentis nostræ constitutioni adversentur; sed in occurrentibus

casibus, normam hæc a nobis præscribendam inviolabiliter ab omnibus observari volumus et mandamus.

§ 8. Quotiescunque igitur curia ecclesiastica a curia sæculari fuerit requisita ut laicum tradi ac illi consignari faciat, eaque super delicti excepti qualitate ac personæ reiterate subministrata, vel acquisita sint indicia quæ ad capturam decernendam sufficere videantur, tunc curia eccles. ad ejusdem delinquentis extractionem ab ecclesia aliisve locis immunibus ope ac medio suorum exsecutorum, implorato etiam, quatenus opus sit, brachii sæcularis auxilio, et cum interventu personæ ecclesiasticæ ab episcopo deputandæ procedere teneatur, extractumque ad suos carceres asportari, ac ibi sub tuta custodia detineri curet et faciat. Ubi vero ex processu informativo desuper conficiendo constet de crimine excepto ac insuper adversus eundem extractum talia resultent indicia, ut crimen ab eo fuisse patratum moraliter credi possit (quæ quidem indicia juxta regulas juris vocantur ultra torturam) eo tandem casu præfatum extractum ministris et officialibus curiæ sæcularis tradere et consignare possit ac debeat, exacta tamen, receptaque prius ab ipsis obligatione in forma juris valida restituendi extractum ecclesie sub pœna excommunicationis latæ sententiæ nobis ac pro tempore existentis Romano pontifici reservatæ, quatenus idem extractus indicia contra ipsum acquisita in suis defensionibus purget ac diluat. Quod si ea minime purgaverit, et vere delinquens repertus fuerit, curiæ sæculari in ipsum tali casu, ut juris esse censuerit, agere atque procedere liceat.

§ 9. Præterea, considerantes sæpe dictum Gregorium prædecessorem, in sua constitutione, optimo quidem jure sanxisse ut soli episcopi et non alii episcopis inferiores, etiamsi locorum ordinarii sint, aut nullius diocesis, aut conservatores a Sede Apostolica specialiter vel generaliter deputati, cognoscere et declarare valeant an delicta pro quibus inquisiti ad loca immunita confugerunt et in eis se receperunt sint neque de genere ac numero exceptorum, nos, providam ejusmodi dispositionem approbantes et confirmantes, eique inhærentes, motu scientia, ac potestatis plenitudine similibus, tenore præsentium quibuscunque magistratibus, officialibus, et ministris sæcularibus, necnon quibusvis aliis personis cujuscunque gradus et conditionis existant, etiamsi imperiali, regia, ducali, et aut alia quavis mundana dignitate aut auctoritate præfulgeant, districte interdiximus ac inhibemus ne hujusmodi causis, vel conficiendo processus, vel inquisitos extrahendo a locis immunibus, vel declarando crimina ab eis admissa esse de exceptis in Gregorianam aut in præsentem nostram constitutionem, ullo pacto sese ingerant aut immisceant. Quod si secus quidquam attentare præsumserint, ex nunc omnia in contrarium præmissorum gerenda irrita et inania, nulliusque roboris vel momenti perpetuo fore, ipsosque attentantes

in censuras et alias pœnas a sacris canonibus et constitutionibus apostolicis adversus eos qui jurisdictionem ecclesiasticam quoquo modo lædunt ac violant, inflictas incurere decernimus et declaramus: volentes, intendentes, ac expresse mandantes, quod omnimoda cognitio atque iudicium de criminibus in Gregoriana constitutione exceptis, et a nobis superius explicatis, tum etiam de aliis quæ in præsentem nostram constitutionem adjicienda et similiter excipienda duximus, quemadmodum, ut præfertur, adjectimus et excepimus, ad episcopos tantum privative quoad omnes alios, perpetuo spectet, atque spectare debeat; et donec ipsi in occurrentibus casibus declaraverint delictum esse de exceptis, et cætera omnia a nobis superius constituta adimpleverint, inquisitos ecclesie vel alterius loci sacri ad quem confugerunt, immunitate gaudere tuto debere ac in ea conservandos et manutenendos esse statuimus, præcipimus, et mandamus.

§ 10. Universos demum et singulos venerabiles fratres nostros patriarchas, primates, archiepiscopos, et episcopos, quos hujus nostræ constitutionis exsecutores deputamus, in visceribus Domini Nostri Jesu Christi hortamur, et paterna charitate admonemus, ut quanti momenti sit hoc negotium serio cogitantes, in occurrentibus casibus qualitatem testium et probationum pondus summo studio ac vigilantia scrutentur, omnemque fraudem, dolum, procul arceri satagant: quin etiam sacerdotali pectore, quotiescunque opus fuerit, iis omnibus obstant qui ejusdem præsentis constitutionis executionem ac observantiam quomodocunque temerario ausu impedire præsumerent. In reliquis porro casibus, tam in hac nostra quam in Gregoriana constitutione non exceptis, memores quam acriter semper et qua eximia ac prorsus singulari animi fortitudine majores nostri pro ecclesiastica libertate ac immunitate pugnaverint, nihil de illa immuni permittant, neque sacris juribus labem ullam irrogari patiantur, sed ea pari sane zelo atque constantia tueri curent: ab omni tamen tumultu ac perturbatione caventes, ne jactantiæ causa potius quam miserationis, et justitiæ titulo, ecclesiastica privilegia asserere velle videantur.

§ 11. Decernentes easdem præsentis litteras et in eis contenta, etc., prout de stylo.

§ 12. Non obstantibus quibuscunque cancellariæ nostræ apostolicæ regulis, etc., prout de stylo.

§ 13. Ut præsentis litteræ ad omnium notitiam deveniant, etc., prout de stylo.

§ 14. Nullo ergo omnino hominum liceat paginam hanc, etc., item prout de stylo.

Datum Romæ apud S. Petr. anno Incarn. Dom. 1725, vi Idus Junii, pont. nostri anno 2.

(92. Delicta seu crimina quibus competit jus asyli sunt ea omnia et singula quæ specialiter non sunt excepta textu expresso in cap. *Inter alia*, 6, de Immun. Eccl., ibi: « Fugiens ad ecclesiam.... quantocunque

gravia maleficia perpetraverit, non est violenter ab ecclesia extrahendus, nec inde damnari debet ad mortem, vel ad pœnam... nisi publicus latro fuerit vel nocturnus depopulator agrorum; » et patet ex Gregoriana, § 3. Exceptio enim unius firmat regulam in casibus non exceptis; leg. *In iis, quæ*, ff. de legibus. Et sic *Communis* doctorum. (93. Crimina autem quibus non competit jus asyli sunt omnia expressa et excepta in dicta bulla Gregoriana, § 3. Ibi statuitur: « Ut laicis ad ecclesias locaque sacra et religiosa prædicta confugientibus, si fuerint publici latrones viarumque grassatores qui itinera frequentata vel publicas stratas obsident ac viatores ex insidiis aggrediuntur, aut depopulatores agrorum, quique homicidia et mutilationes membrorum in ipsis ecclesiis earumque cæmeteriis committere non verentur; aut qui proditorie proximum suum occiderint, aut assassini, vel hæresis, vel læsæ majestatis in personam ipsiusmet principis rei, immunitas ecclesiastica non suffragetur. » (93. Et omnia illa quæ sunt novissime expressa et excepta in mox allata constitutione Benedicti XIII, § 4, 5 et 6, quæ constitutio est valde attendenda, cum multo plura delicta excipiat quam constitutio Gregoriana. Vide infra num. 156 et seq.

(94. Crimina igitur excepta seu casus pro quibus non gaudet rei jure asyli sunt sequentia. Primo, publici latrones, viarumque grassatores qui itinera frequentata vel publicas stratas obsident ac viatores insidiis aggrediuntur, uti expressa in cit. Gregoriana, § 3, confirmata in dicta Benedictina, et concordant cap. *Inter alia*, 6, de Immun., et cap. *Sicut*, 6, causa 14, quæst. 4. Quamvis enim a multis latrones et grassatores viarum distinguantur per hoc, ut dicunt ipsi quod latrones nedum violenter homines aggrediuntur et spoliunt, sed insuper occidunt; grassatores vero solum violenter homines aggrediuntur et spoliunt, sed sine occisione; unde ambo conveniant in spolio violento, sed ratione homicidii distinguantur. Tamen quantum ad præsens pro eodem sumuntur et confunduntur a Fagn. in cap. *Inter alia*, 6, de Immun., n. 23; Farin., in Appendice de Immun., cap. 10, num. 349; Castropalao part. II, tr. 11, disp. unic., punct 9, num. 2. Piching, lib. III Decret., tit. 49, n. 19; Felice-Potest. tom. I, part. II, n. 639, et aliis pluribus, et pro eodem sumere videtur etiam novissime Benedict. XIII in dicta sua constitut. § 3, ibi: « Ut quis publicus latro et grassator dici valeat, dummodo tamen grassator aut membrorum mutilatio secuta fuerit, » ubi notanda sunt verba *grassati mors* (95. Hinc publici latrones et grassatores viarum dicuntur illi qui publicas vias aut vicinales obsident, ac viatores ex insidiis aggrediuntur ad ipsos spoliandos seu interficiendos, ut colligitur ex cit. constitut. *Gregoriana et Benedictina*.

(96. Alias, ut publici latrones et grassatores viarum non gauderent immunitate seu jure asyli, requirebantur plures actus seu plura latrocinia et grassationes, ut patet ex